



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Summula clarissimi iurisco[n]sultissimiq[ue] viri  
Raymundi**

**Raimundus <de Pennaforti>**

**Colonie, 4.III. 1502**

**VD16 R 168**

Uotum quomodo definitur

**urn:nbn:de:hbz:466:1-31223**



aut simpliciter nihil dicitur. illo tamen non obstante valde necessarium est ut votum simplex teneatur et impleatur. quod scriptum est. vouete et reddite domino deo vestro. **S**ed dicitur ergo aliquis. ideo auctor prius est insufficientis ex eo quod non determinat de voto simplici. Respondetur quod auctor non est insufficientis. quod superius dictum est quod ipsa ecclesia cogit ad votum solenne perficiendum et non ad votum simplex. **U**n de quibus frangit votum solenne huic denegatur omne sacramentum christianitatis. ideo ipsa ecclesia cogit talem ad istud votum perficiendum

**S**ecundo est notandum. ex quo supra prius facte mentionem de voto tunc videndum est de ipso voto. unde votum sic definitur. Est alicuius boni cum deliberatione facta promissio. **E**t dicitur notanter (alicuius boni) quod si aliquis promitteret malum non est tenendum nec esset verum votum. et si ipse infringeret votum non peccaret

**T**ertio est notandum. quod votum solenne fit tribus modis. Primo per ordinem scilicet ceterorum sumptuorum. ut subdiaconatus. diaconatus. et ceteris. quod diaconus et subdiaconus faciunt votum deo et episcopo. et quicquid transgreduntur illud a simpliciter sacerdote absolute non debent. Secundo votum solenne fit per ingressum religionis. et hoc in professione. Tertio fit per habitum susceptorem. ut si aliquis recipit habitum religiosorum. id est monachorum. presbyterorum. et si est plus specialis habitu professionis. et specialiter sub hoc fecit votum. si tunc transgreditur est fractor voti solennis

**Q**uarto notandum. quod hoc votum fit tribus modis. primo cum deliberatione. secundo cum firmo proposito. tertio cum obligatione. de quibus modis etiam superius patuit

**Q**uinto est notandum. quod aliqui homines sunt obligati ad votum. et aliqui non. quod pueri qui nondum venerunt ad annos pubertatis non sunt obligati ad votum ut patuit superius in multis casibus. **Q**uia monachi non obligantur ad votum illud quod est contra regulam ordinis. id est facerent votum quod vellet dimittere ordinem et vellet ire et alleviare onus. **S**icut furiosi non obligantur ad votum. ratio est. quod non sunt capaces suarum rationum. **S**icut famulus non obligatur ad votum illud quod est contra voluntatem domini sui. ut etiam prius dictum est.

**S**exto est notandum. quod ad permutationem voti requiruntur duo. Primo auctoritas. quod nullus potest cum seipso dispensare. sed requirendus est ille qui habet auctoritatem. ut episcopus vel papa. quod secundum Hostiensem dispensatio seu voti permutatio est vigor ipsius iuris per eum ad quem spectat misericors relaxatio. et hoc dicitur supra. **I**n manibus stat maioris etc. Secundo requiritur causa sufficientis quare quis non tenet servare votum. nam nisi causa sufficientis superabundaverit votum nequaquam alleviatur

**S**eptimo notandum secundum Raymundum. votum onerosum in leuius est permittendum. ut ieiunium in elemosinas. **I**tem si quis vouit peregrinationes et pro infirmitatibus non potest implere. tunc expese quas esset persumpturus et laborum sicut dicitur de hoc in alios pios actus conuertere

**U**ltimo est notandum. utrum votum augmentat meritum. **E**t videtur quod non nam omnis seruus deo voluntarie placet magis illi quam seruus ei de iure. sed omnis seruus ei ex voto seruit ei de iure et de voto. sed seruus sine voto seruit libere. ergo videtur quod votum non augmentat gratiam. **I**n oppositum autem est magister sententiarum et doctores theologie. qui volunt quod votum augmentat meritum.

**E**t declaratur hoc sic. quod si non tunc claustrales seu religiosi inutiliter facerent professionem. quod tamen abhorret tota christianitas. **R**espondetur quod actus qui fit post votum potest fieri dupliciter. Uno modo in equali charitate sicut ante. Alio modo in minori charitate quam antea. si primo modo tunc seruicium in tali est maioris premij et meriti.